diu ac multum captarunt, quibus ad optatum sceleris finem per-
nire possent: ultro enim jactabant, molestum esse ac grave po[pulo]
Regium Imperium. Regnum siquidem nolebant, nisi suum esset; [Re-]
ges abominabantur, nisi ipsi essent; magistratum aversabantur
quem ipsi non constituerant. Rempublicam interim amabant [in]
Regno, in Republica Regnum: utrobique tamen Imperium affecta-
bant, neque quenquam regnare aut imperare praeter se justum [ac]
aequum existimabant. Atque hinc est, quod maximè Independen-
tium nomen adoptarent: utpote qui ipsi à nemine pendere,
à se verò omnes volebant. Ex sectae suae praescripto id fiebat.
Nullum enim bonum Regem putare possunt, qui vel optimum
non ferunt: quum palam profiteantur Independentes, domi-
natum Regium cujuscunque Principis, licet in eo virtutes omni[um]
praeeminentiores gradus conspirent, Reipublicae inutilem esse,
imò gravem. Tantum hos odium Regiae appellationis te-
net, etiamsi potestas ipsa iisdem perplaceat, ut vel ab ipso
Deo oblatum Regem non recepturi, jam datum dethro-
naturi, quin imò ipso Davide sanctiorem, Salomone sapienti-
orem nullo modo toleraturi videantur. Hac, hac pesti-
lentissimâ doctrinâ inducti, si mille rebus meliorem Re-
gem habuissent perduellionis Anglicae conjurati complices,
quàm habuerant, non eum vitae longiori consecrassent. Quare fa-
ctiosos istos ac rebelles homines non crimen Regis
in tantum furorem impulit, sed suum, affectatio nempe
tyrannidis. Si id solum spectassent, si de eo tantum cogitas-
sent, quomodo forma status publici in melius mutanda fo-
ret, satis ipsis fuisset, ablato Rege aut abolitâ Regia domi-
natione, Rempublicam, qualis erat, relinquere, et Senatui,
cujus proxima semper à Rege fuerat autoritas, summam
potestatem concedere. Absque omni alia novatione sta-
tus tunc popularis fuisset: quem quidem, si unicè optas-
sent Angli, non felicius aliunde, quàm ex tribus populi or-
dinibus, ex quibus compositus ille Senatus erat, constitui po-
tuisset. Constabat utique Senatus ex Episcopis, qui Ecclesiam,
ex optimatibus, qui Nobilitatem; ex deputatis urbium
plebem repraesentabant. Quid autem Novelli Reipublicae
Anglicae gubernatores? Ecclesiasticum ordinem, [...]
Episcopis